

6
SERMO FUNEBRIS
SUPER
MOESTISSIMO OBITU
MARIÆ THERESIÆ,
DUM
IN ECCLESIA PRÆPOSITI
AD SANCT. MAURITIUM

FUNERIS AGERENTUR EXEQUÆ,

DICTUS

A JOANNE NEPOMUCENO FENTZL,

PRESBYTERO, GYMNASII PRÆFECTO.

OLOMUCH DIE XII. CAL. JAN. M. DCC. LXXX.



OLOMUCH MORAVORUM,
TYPIS JOSEPHÆ HIRNLIANÆ, FACTORE JOSEPHO FRANCISCO
LOSERTH.

*Dies, quibus regnavit super Israel, fuerunt
quadraginta anni. I. Par. 29. 27.*

*Dormivitque cum Patribus suis — — —
anno quadragesimo primo Regni sui.
II. Par. 16. 13.*



227673 I



Fatale dicendi genus! dum dictu hor-
rendum est, & auditu terribile luctus
argumentum: IMPERATRIX, RE-
GINA, Grande Nomen! THERESIA sem-
per AUGUSTA, Amabile Nomen! quodque
jam reliquum est, horresco referens: vixit;
flete Auditores! sed enim fletis, malim igitur
Vobiscum flere, & addere lacrymis lacrymas,
ut fluant largius, quam ad flentes perorare.
Quandoquidem non is ego sum: qui molem

tanti doloris verbis effari valeam, sed nec lacrymis, tametsi & illæ pondera vocis habent. Infandum enim REGINA, REGINA jubet renovare dolorem, qui jam tum nostra omnium corda concussit, cum importunus hic rumor percubuit: ægrius valere DOMINAM; tum autem lacrymas jam ipsas exhaustit, cum insecundo ad nos Danubio perlatum est: & MATREM jam nobis præreptam.

O fatum, inexorabile fatum! ergone jam ILLA vi morbi absumpta est, pro QUA tamen temporibus jam CAROLI diu rogabamus: ut ILLAM haberemus! deinceps autem oravimus: ut ILLAM diu haberemus! hæc enim vox fuit omnibus una: *Vos Dii Patrii HANC nobis servate PARENTEM!* a) at! cælum jam non audit! o immites cæli! istudne nobis in pænam? neque tamen tantum deliquimus: ut jam tam BONA DOMINA, tam PIA MATRE orbari mereremur. O dura necessitas sic nos cogis?

O

a) Mart. 2. epigr.

O jactura enormis! o damnum irreparable! dum uno in funere omnes amittunt omnia: Orbis Decus suum, Europa Columnen, Germania Majestatem, Nutricem Austria, Bojohemia, Pannonia, Ceteræque fortunatæ Provinciæ, ac Regna REGINAM Justam, & Perbenignam; Vicini spem, domestici Matrem, hostes Amicam, amici Amicitiam, Fæderati Fidelitatem Ipsam, denique omnia omnes. Ita vero: Majestas, & amor, spes, decus, & lumen omne occidit, dum MAGNA THERESIA, QUÆ alias prospere processit, & regnavit, *dies autem, quibus regnavit super Israel, super domum Patris sui, fuerunt quadraginta anni, dormivit jam cum Patribus suis anno quadragesimo primo Regni sui.* Tum mox mcestissima rerum facies apparuit: mox plangor in tectis, luctus in Aula, silentium in curia, vastitas in foro, solitudo in plateis; dolor omnes obruit, vox faucibus hæsit, non ætas, non sexus, non ordo ullus erat, qui lacrymas posset coercere. O Vienna! præclara

sedes Cæsarum! quis tibi tunc vultus? quæ species? reor: qualis *Troya, cum caperetur, erat a)*.

Tu vero FILI MAXIME, & HERES, REX jam, & IMPERATOR, JOSEPHE SECUNDE! quis TIBI aliquando sensus fuerit: cum Æniponte FRANCISCUS PATER TUA in brachia proruit? TU solus nosti; quæ autem tum animi commotio TUI: cum & THERESIA PARENS FILII in sinum caput reclinavit? ne ediffere quidem potes, tametsi velis, eras enim, nec fallor, si dicam: similis illi, qui *Jovis ignibus ictus vivit, & est vita nescius ipse sue b)*. Namque Moriens THERESIA ista TIBI fere in aurem dixit: *ME quoniam celestis Regia poscit, TU curis succede MEIS, & tacuit c)*.

Cumque cessasset loqui, non secus ac olim in Aula Davidis, apparuerunt & Filii Regis, & intrantes levaverunt vocem suam, sed & Rex, & omnes servi ejus fleverunt ploratu magno nimis d). Tantis si lacrymis stetit David Regi mors filii unius, ut ploraret nimis, dilexit enim eum, quia pri-

a) 1. Trist. el. 3. b) Ibid. c) Claud. 3. Conf. Hon. d) 2. Reg. 13. 36.


primum genuit. Quid jam ni etiam tanti,
& tanto majoris steterit VOBIS REGINÆ
LIBERI, TIBI vero cumprimis REX, & FI-
LI primum GENITE mors OPTIMÆ PA-
RENTIS? QUÆ TE, QUAMQUE TU dili-
gebas adeo: ut ne a Morientis quidem lectu-
lo avelli posses, astabas enim jugiter, usque
dum ILLA loqueretur supremum. Pudue-
rit tametsi flere Ezechiam Regem, *conversus*
enim faciem suam ad parietem a) flevit, neque tamen
pudivit flere CÆSAREM, sic autem flevit,
quia ita dilexit: ut lacrymas ILLIUS non
tam viderit, quam audierit Regia omnis. In-
de & FILII, FILIÆque, sed & IPSE REX,
& omnes servi Ejus planxerunt, donec deficerent in
Eis lacrymæ b).

Quoniam igitur & nos sumus de servis
FILII REGIS, sed & de filiis REGINÆ,
æquum proinde est: ut & nos illacrymemur
FILIO REGI, sed & nobismet ipsis, par
enim nostra jactura est, parque cruciatus.

At-

a) 4. Reg. 20. 2. b) 1. Reg. 30. 4.

Atque hinc iterum moneo: flete Auditores!
nam & Vobis Prærepta est JUSTA DOMI-
NA, QUA Justior nulla, sed & CLEMEN-
TISSIMA PARENS, QUA nec Clementior
ulla in Orbe fuit, qualem nec prior ætas
tulit, sed nec posteritas effinget ulla. JU-
STA erat in Deum, Deo dedit, quæ Dei
sunt; JUSTA & in populum, dedit cuique
suum. CLEMENS erat in subditos, hos
rexit ut filios; CLEMENS & in hostes, hos
ut amicos dilexit. Atque hæc summa rerum
est, hoc luctus argumentum.



Quod Divus olim CAROLUS sanctum esse
voluit, quodque auro immani redemit:
ut a morte SIBI sufficeretur FILIA, QUÆ
imperaret Austriæ, id jam ferro impugna-
tum est, dum vix decessit; hostis causam
mo-

movit, hostem vero invidia. Patris quidem
solium jam conscendit HERES Legitima,
sed etiam tum non secus, ac rupto carcere
a quatuor plagis turbines, ita plane totidem
æmuli, ac hostes sedem succutere, & partiri
exuvias Leonis ambiebant, quin & jam par-
titi sunt: hic jubas attondit, bifidam ille cau-
dam depexuit, hic demum, & ille diadema
Leonis dixit esse suum. O Praga, Caput
Regni! quam infestos tu recepisti hospites,
hostes dicere volui: hinc leo, & aquila, il-
linc decussati enses, & ipsa lilia tuum con-
spirabant in interitum. Istud solum felicita-
tis erat, aut potius Divini Muneris: quod
etiam tum luna non apparuit.

Quid jam ad hæc THERESIA adhuc Im-
becilla? auxilium petivit ex alto, levavit ocu-
los in montes Pannonum, & ecce! veloces
inde venerunt angeli, qui non tam in ore
gladii, quam in brachio excelsso fregerunt
iras hostium, & cupiditatem; hos enim fer-
rum, illos inedia, hos iterum gelu, istos lues

B

ipsa

ipsa ligurivit; quibus vero pepercit calamitas ista, his dictum putate illud Maronis: *maturete fugam, Regique hæc dicite vestro, & narrate domi a).* Tum facta est tranquillitas magna, tum Hæc Judith Triumphans in solio Patrum consedit Tuta, & Sui Secura.

Ne tamen sedes hæc nutaret unquam postea, quibus, oro: eam firmavit basibus? quibus præsidiiis? cum Alii terrarum Principes solum Quique suum fulserunt consilio, & industria, Alii virtute, & exemplo, rursum Alii amore, & timore, denique Alii fortitudine, & constantia; THERESIA Hæc Provida, & Mitis Dea justitia, & clementia stabilivit, idque tuo o Salomon consilio: *justitia enim firmatur solum, b)* dixit sapiens: *robatur clementia thronus c).*

Primum autem Justitiæ specimen dedit, cum Deo dedit suum; tametsi Divinus aliquando Magister censum primo reddi jussit Cæsari, tum demum: quæ Dei sunt, Deo; con-

a) Æn. 6. b) Prov. 16. 1. c) 20. 28.

consilium tamen istud, an præceptum? HÆC
CÆSARUM NEPTIS, FILIA, CONJUX,
ET PARENS verso paullum ordine implevit
examussim: quod FILIO daret CÆSARI,
ad extrema rejecit, dedit autem ILLI totum,
quod fuit ante SUUM. *Prima tibi sit cura Dei, a)*
hoc ILLI solenne fuit, in quod toto incu-
buit pectore.

Curæ tametsi multimodæ, & incredibiles
nascerentur ILLI mox Dominatus SUI prin-
cipio, tenerentque adusque exitum, quæ no-
ctes, diesque vendicabant ipsæ sibi, tantæque
erant: ut viri etiam, qui casus subter se quos-
vis despicit, animum frangerent; tamen hac
in curarum mole, fortunæ vicissitudine, ne-
gotiorum varietate THERESIA curas omnium
primas eo retulit: ut Illi, qui Regibus Re-
gna dat, daret prius suum. Eam prorsus ob
rem nil unquam cultui Illius subduxit, ad-
didit quin immo, nil eorum omisit, quæ
novit Dei esse, novit autem jam tum, cum
Deum novit, sed novit mox a teneris.

Quod ipsum a Majoribus Divis: FERDINANDO, LEOPOLDO, CAROLO in partem hereditatis, & patrimonii suscepit, seduloque providit: ne qua pars inde periret. Pietatem enim e vero Austriacam suxit jam cum lacte, neque dimisit, cum etiam desinebat vivere; quamque ad omnia esset utilis? experta cum alias semper variis in fortunæ casibus, factorum eventu, & rebus controversis, tum, idque magis: cum Magnam Deo redderet Animam.

Atque hinc quotidianis interesse sacris in voluptate habuit, diemque jam ipsum cum Henrico in perditis abiisse putabat, quo id non licuit. Quin & quoties demum cunque Res Divina solennius perpetrabatur in urbe, testor vos templa Viennæ! THERESIA non jam Hospes, sed Domestica adfuit. Sicubi prominebat Augustissimum Altaris Mysterium, & AUGUSTA aris Advoluta Latentem adorabat Deum religione, qua potuit, decuit, & Ille meretur. Neque offi-

ciis

ciis contenta suis, ut insuper Hæc Salutaris Hostia ubique locorum, diesque in singulos adorationi proponeretur omnium, suopte consilio concepit, statuit, & cum expiationis gratia ab Eo, Qui dare potest, impetravit. IPSA vero, quemadmodum alias, idque creberrime Cœlesti Huic Convivio accumbere consuevit fide viva, pietate cum tenerrima, tum vel maxime prodidit: dum de Pane fortium supremum participavit, prodidit autem verbis quidem jam succisis, & anhelante spiritu, sed grandi affectu, jugibus lacrymis, passa manu, genu flexo, & prono corpore; ut crederes: non tam vi morbi, quam animorum motu pectus obrui. Sic Viva, sic Moriens credidit, sic adoravit.

Huc, huc vos jam o curvæ in terras animæ! & Cœlestium inanes! quibus Deus venter est, Mammon, vel Baal idolum, quique cuivis parieti dealbato curvatis genua, Deum vero sacrosancto in Mysterio ne a limine qui-

dem salutatis, hic, hic *discite iustitiam moniti, & non temnere Divos a*).

Ut vero fides hæc vera Verum in Deum proveheretur latius, suus Deo cultus accederet, sed & animorum salutis consuleretur magis, quid jam non egit REGINA e vero APOSTOLICA? egit: Deo templa, Cœlitibus aras, aris Ministros, Gregi Pastores posuit, statuit, dotavit. Auxit Episcopœa in Urbibus, sacerdotia ruri, Pastophoria in prædiis, ut plureis essent, qui bonum gregem pascere, abigerent lupos, sed &, qui Pastoribus invigilarent.

Neque satis Deo datum esse putabat JUSTA DOMINA, nisi & populo daret cuique suum: sexui, ætati, generi, conditioni, cuique suum. Cura ILLI prima Deus, mox altera salus populi, felicitasque. Ita plane: forum THERESIÆ patebat omnibus, reo, & innocenti, probo, & impio, actori, & patrono, Judici ipsi, & judicando. Hinc
Vien-

Vienna facta est Civitas refugii, Aula locus
asyli; novi tamen judicii nova forma fuit:
Justitiæ tribunal idem prorsus erat, ac thro-
nus gratiæ, Judex simul, & causæ Patro-
nus, partes utriusvis sustinuit THERESIA;
hæc enim ILLIUS laus erat constans, &
prima omnium: Justam perinde fuisse, atque
Clementem rerum Arbitram.

Quoniam autem nihil justius, ac virtu-
tem, clementius nihil, ac vitia nosse arbi-
trari, sic arbitrata est: ut justitiam clemen-
tia temperaret, ne humanitatis excederet li-
mites; clementiæ justitiam astringeret, ne
quid adversus æqui, honestique legem agi
pateretur impune. Inde sua virtuti decre-
vit præmia, sed ampliora meritis, ut allice-
ret plures ad audendum paria, & his majo-
ra; suas quoque vitio pœnas, æquo tamen
mitiores, ne perderet errantem, sed ad fru-
gem reduceret. Denique merces ultra me-
ritum, pœna infra condignum, hæc erat
for-

forma judicii, hæc judicantis regula, mos, & principium.

Quod an ita? vel inde liquet: tempus edax rerum ELIZABETH jam MATRIS memoriam, & ordinis Insignia prope obliteravit, suscitavit FILIA, quin & novis adauxit inventis: cum Equestrès suapte industria condidit Ordines, alterum REGI dictum APOSTOLICO, alterum SUO insignitum NOMINE, utrumque merentibus in præmium, calcar, & incitamentum. Rursum inhumana barbaries cruciatus, & supplicia invenit, ni faterentur, torquendi reos, THERESIA sustulit, delevit, omnemque crudelitatis suppellectilem ad Getas, & Scythas remisit, idque delinquenti etiam in solatium.

Dicite jam: Vos enim hic primum contestor Viri, & Mulieres, qui sive armis, & consilio, arte, vel industria, seu fidelitate, & obsequiis tantum consecuti estis gratiæ, & beneficii: ut nobilissimos hos jam in Cætus cooptari, & sacras STEPHANI, vel THERESIÆ

RESIÆ Cruces, & stellas, vel etiam ELI-
ZABETH Imagines ferre præ pectore mere-
mini; tum demum & Vos, qui e grege mi-
litum ad Tribunatus, e plebe ad senatum,
ex humili ad subsellia provecti estis; quique
genus ceteroquin obscurum, jam vero Illu-
stre transmittitis ad posteros, vel annuis do-
tati vectigalibus cumulatis thesauros; cum-
que jam ostentatis præmia, jactate & prome-
rita! dicite: quid enim Vos fateri pigeat?
sitne par pari redditum? an merces labori
congruit? virtuti præmium? dicet, reor, unus-
quisque: nisi nomen ingrati velit, majus omni-
no retuli, quam unquam commerui, nam
amplitudo gratiæ, & præmii exuperantia lan-
ci imposita labores, merita, virtutem peni-
tus deprimit, elevat, excedit quam longissime.

Sed ne longius abeam, Vos, Vos quo-
que testes compello Fidelissimi Cives, & prin-
cipis hujus apud Moravos civitatis Patres, Ma-
gistri civium, Consules! qui fidem THERE-
SIÆ devotam cum alias semper, tum autem

C




lucu-

luculentius præstitistis salvam, & integerrimam:
dum Urbe obsidione pressa & arma assume-
re, pectus opponere hosti, vitæ, & fortuna-
rum subire pericula minime dubitavistis; di-
cite: satisne retribuit, dum Vos Nobilitatis
jure ornavit? & civium fidem Aurea SUI
Imagine compensavit THERESIA? dicetis:
affatim, prodige, & abunde; namque fidem,
quam Dux, & miles, civis, & Consul, cliens, & sub-
ditus suo debet Principi, sic remunerare, non
justitiæ est officium, sed liberalitatis excessus.

Justitiam denique hanc porro mitem, &
perbenignam prædicent & illi, qui demum
cunque perfidi erant in bello, injuriosi ærario,
seditiosi in Patria; si qui tamen erant? erant,
nam ejusmodi Coriolanos, Verres, & Catilinas
non Roma tantum genuit, sed Regio quævis;
enarrent jam & illi pænas, supplicia, & crucia-
tus, quibus affecti sunt, dicent enim vero nec
inviti: mulctati sumus duntaxat ære, fama, vin-
culis, qui crimen eluere meruissemus sanguine,
nobis ensis, & restis pepercit. Sic punit Ju-
sticia

stitia Clemens, punit, ut corrigat, corrigit,
ne perdat, sed nec perdidit quemquam.




 **M**AGNÆ Justitiam DOMINÆ hucusque
 expendimus læti, jam in eo est: ut &
Clementiam PARENTIS OPTIMÆ recolamus
cum lacrymis. Quandoquidem & ILLA jam
sublata est: QUÆ proprio naturæ munere ad
Clementiam sic erat comparata, ut subditos
etiam populos diligeret perinde, atque filios.
O ter felix Austria! quæ MATREM HANC
OPTIMAM, & si quid optima melius? nobis
genuisti. Genuit quidem & Latium Patres
aliquando Patriæ, sed & Tyrannos, tu, cum
meros Patres, Matrem duntaxat Unam, qua
melior nulla nec hac, sed nec in alia Regione
fuit. Veturia quidem ab hoste filio liberavit
Romam; THERESIA jam ab hostibus libe-
ram FILIO servavit Patriam.

O Beatæ Gentes! quæ sub cura eratis
MATRIS, & jam sub Dominatu FILII, utrin-
que felices; Vobis enim datum est de munere
Divum ea vixisse tempora, quibus domina-
batur Austriæ REGINA PARENS. Tyberio
cordi illud crudele erat: *oderint, dum metuant.*
THERESIÆ: *non metuant, ament.* In aula Ne-
ronis crudelitas, & furor; THERESIÆ in
sinu Majestas, & amor sede morabantur in
una. Sinus hic Maternus erat, recepit omnes:
Ducem, & gregarium, clara, vel etiam obscu-
ra origine natum, civem, & colonum, auris,
cor, & manus patebat omnibus, neminem si-
vit abire inanem.

Reus querebatur de injuria, qua affectus
est, jus illi dixit; de ære alieno, in quod in-
cidit, refudit; de damno, & rerum jactura, re-
sarfit. Pauper de inopia, & mendicitate, ma-
num aperuit; de fame, qua contabescebat, sa-
tietatem attulit; de exaggeratis vectigalibus,
remisit. Miles ostentabat vulnera, oleum af-
fudit, curationem adhibuit. Servitutem de-
plora-

plorabat colonus, liberum dimisit. Domos, & prædia, quæ deflagraverunt igne, satus, & segetes, quas non falx, sed grando mesuit, exinanitus luxit possessor, afflicto, & jacenti utrinque succurrit adeo: ut ædes denuo assurgerent, & ager denuo consitus novas promitteret fruges.

Neque etiam dum satis, erat, & haud pridem erat tanta agrorum sterilitas, & inde summa rei frumentariæ inopia, quæ pretia frugum terræ intendit adeo: ut nec nisi permagno redimi a potente, ab inope vero nec prece, nec lacrymis potuerint acquiri, hac rerum caritate, & angustiis conflictabantur Provinciæ, & Regna, fateri jam Bojemia! quis com meatu annonæ raptim hinc, & inde collecto tibi subvenit? quis rerum laxavit pretia? esuriem potentum perinde, ac pauperum, quis naturæ desideria explevit? nunquid THERE-SIA?

Erat præterea & illud infame tempus, quo in saracenorum finibus pestilentia gravissime

laboratum est, ubi assiduus prope funeribus exhauriebantur urbes, & oppida, tum fœda lues, & contagio fines pedetentim transgressa, & citimam afflavit Regionem, Provincias jam Austriæ devotas fœdissime depascebat, fateri id Transylvania! quis Viros in arte medendi Peritos, opem, remedia continuo submitit? flagranti quis malo tempori occurrit? mortalitatem latius serpere quis prohibuit? iterum THERESIA.

Rursum depopulationi hostium patebant finitimæ Urbes, quas, quoties demum cunque vicinus pugnatum excurrit hostis, primum diripuit, quia nec fossa, nec agger incursionem restitit, te hic appello Olomutium, & Hradecium Regina! quis Vos præsidiiis, vallo, aggere, fossa, munimentis firmavit? quis vestras o Cives! fortunas in tuto reposuit? quis? denique THERESIA.

Ad greges si jam reflecto pauperum, infinitus sum, si vel attingam omnia; ad illos ut plurimum se se demisit MAJESTAS. Tum enim

enim vel maxime Materna commovebantur viscera: cum viduæ marito conjuges, & patre liberi ILLIUS affundebantur pedibus; de subito matrum absterfit lacrymas, cum vitæ alimenta dedit, æs annuum attribuit, pupilis SE præbuit MATREM, quorum curam in SE recepit; ut filiarum pudori consuleret, & pueros efficeret idoneos Patriæ, utiles orbi, domos hinc, & illinc peramplas posuit, de victu, amictu, cura & disciplina, Rectoribus, & Magistris ære providit suo. Prolixus fuero admodum: si ejuscemodi domicilia, utpote totidem Maternæ Pietatis monumenta enarrem omnia, quæ apud Bohemos, & Hungaros, Austrios, Polonos, Belgas, & Italos, Carinthos, Styros, & Carniolos, nostra insuper in Regione, in qua felices agimus, denique locorum ubique, ubique terrarum, quate patet Dominatus Austriæ, perample condidit, & censu dotavit liberali, eoque perpetuo.

Quod

Quod si vero pauperis, & tugurii tanta fuit cura THERESIÆ: ut ad humanitatem educarentur, quid jam dicam? quanto major fuerit & de Vobis Surculi e stemmate Nati? Vobis quoque, ut virtutem jungeretis sanguini, quia *Nobilitas sola est, & unica virtus*, a) hic Gynæcea, illic Academies, & Collegia ad nitorem eduxit, apparatu instruxit eximio, nec quicquam desiderari passa eorum: quæ Vestram ad utilitatem, emolumenta, generis decus, & gloriam, commoda quin immo ipsa, & voluptatem visa sunt pertinere. Si Pragæ, Posonium, Leopolim, Neostadium Austriæ, Ænipontem, Brunam si etiam prætereo, sique duntaxat illud, quod in Suburbano Viennæ est, Theresianum nomino, dixisse sat est.

Sed nec in reliquos, quosquos Ditio, & Imperium Austriæ genuit, & nutrit, Mopsi etiam, aut Menalcæ liberos Noverca fuit; his quoque scholas ad normam recti, non in Urbibus

a) Juv. Sat. 8.

bibus modo, & oppidis, sed ruri etiam, & quibusvis colonorum in sedibus aperuit, cui tamen bono? grandi & salutari: ut & illi religionem cum virtute combiberent, virtutem cum litteris.

Denique Hæc Artium, & scientiarum quarumvis e vero MATER Lyceis etiam ipsis formam induxit novam, Præceptores, ac Magistros ad id delegit provide, copiose aluit, prævenit gratiis, ipsa adeo Majestate protegit, idque propterea: ut docerent bona, sed bene, bene, sed utilia, utque ex Illis discerent alii virtutem, verumque laborem. Ausim jam hic dicere: Divi CAROLUS, & FERDINANDUS dederunt aliquando artibus ædes, THERESIA ædibus artes, HÆC DEA plura dedit.

Reliquum jam est, ut & illud evincam: THERESIAM fuisse etiam inimicis Amicam. Subditos diligere non secus, ac filios, perrarum quidem est clementiæ exemplum, sic tamen solent Matres. At! hostes amplecti ut

D

ami-

amicos, inauditum plane est, hoc nec Herodes solent, nisi fortasse Cæsares. Ejusmodi enim clementiam Furnius Eques Romanus in Julio Cæsare, quod Patri ejus, sed hosti suo pepercit, sic admiratus est, ut diceret: *fecisti Cæsar, ut viverem, & morerer ingratus a*). Cumque Civitates aliquando Germaniæ a Quinto descivissent Carolo, non ferro, ut poterat, & igni in eas animadvertit, sed clementia singulari, qua victus, conjurationis caput, Vir Nobilis, cum veniam impetrasset, & gratiam, exanimus procidit ad pedes Cæsaris.

Morem Cæsarum Imitata MATER illos pariter omneis, quotquot perturbato belli tempore partibus studebant hostium, dum culpam eluerent precibus, peramice recepit, impunitate donavit, vindictæ nescia, injuriæ oblita. Tanta si indulgentia hostes ferebatur in domesticos, quid jam ni & in externos?

a) Seneca.

nos? scitis, sed nec nescire potestis: quam rapido olim cursu hostium agmen infusum sit Silesiorum finibus? quid jam tum THE-RESIA? egit, quod faciunt Reges, quam mox arma armis objecit, copias quidem suas e veterano plerumque conflatas milite huc jam, & illuc traduci jussit, non tamen, ut colliderent, sed ut adverterent molimina, neque, ut a finibus depellerent, quin potius officiis prævenirent hostem, quem vel amicum esse credidit, vel saltem Comitatus sua talem efficere contendit.

Quoniam vero nihilo placatior hostis cupiditatem jam prodidit suam, vastitatem circumtulit, misit sub jugum Urbes, itum est in prælia, fusus utrinque miles, calamitas undique, belli jam flamma ad ipsa usque Czechiadum Regni prorepit intima; tum clamor Civium, filiorum dicere volui, & querimonia pervasit in aures MATRIS. Quid jam ILLA? egit, quod non solent Reges,


Illi enim Regnorum semper limites latius producere, & quærere etiam solent nova Regna per undas; HÆC vero, ut suorum, sed & hostium parceret sanguini, & Vestras o Cives! placaret querelas, depopulationes sisteret, terris induceret pacem, quid non egit? egit Vestro solum cum emolumento, damno tamen Suo irreparabili hostis cupiditatem explevit, dum illi in spoliū, in victimam ultro cessit, & sacravit Ditionum Suarum pulcherrimam, illacrymor, cum illam nomino: Silesiam ipsam. O Silesia! Percara Silesia! utinam te! sed præstat vota cohibere nostra, dum fata viam aperiunt.

Vestras jam Vos Alexandri, & Cæsares jactate Victimās, quas sive Marti pro victoria, sive Jano pro pace immolavistis uspiam; quid enim? lupus erat, vel accipiter, ramus lauri, vel olivæ. Majus certe THERESIA dedit, cum pretiosum diadematis sui unionem, non secus, ac Cleopatra Antonio, Silesiam

lesiam ajo: velut hostiam pacis inimico litavit. Inde animorum consensio tantisper coaluit, & pax optima rerum revenit ab exilio.

Sed &, quemadmodum Servilium inter, & Catonem nunquam convenit, invidia autem in causa fuit; ita fere Habsburgicam inter, & Borbonicam Domum lis, & dissensio, livor, & æmulatio sic invaluit: ut animos utrinque conciliari posse sperarit jam nemo; conciliavit THERESIA, qua tamen arte, & industria? dicam: Magnanimitate, & Clementia LUDOVICUM in amicitiam pellexit, & pacto insuper fœdere LUDOVICI FILIUM, jam REGEM, & GENERUM effecit SUUM. Immortale opus! dignum, quod orbis stupeat, & prædicet omnis.

* *

 Sed hem! ubi jam Hoc Orbis Prodigium?
Regum Exemplar? Imago Bonorum
Principum? ubi tam JUSTA DOMINA,
QUÆ Deo simul, & populo dedit cuque
suum? ubi tam CLEMENS PARENS, QUÆ
subditos ut filios, hostes ut amicos dilexit?
tam PIA REGINA, QUÆ super Domum
PATRIS Sui *regnavit prospere quadraginta annis?*
THERESIA ubi? Ah! *dormivit jam cum Patri-*
bus suis anno quadragesimo primo Regni sui, posita jam
sub lapidem, ubi omnis lapis clauditur uno.

Vos igitur populi, subditi, filii, sed &
hostes! hunc super lapidem juges mittite la-
crymas, gutta cavat lapidem, sed sæpe ca-
dendo. Quid enim ILLI pro tanta Justitia,
qua nos rexit? quam iterum vicem pro Cle-
mentia tanta, qua dilexit omnes? nil, nisi

cor-

corda cum voto, preces cum lacrymis. Serum quidem lacrymarum vestigal est, quod Viventi nunquam, Mortuæ semel mærentes Merenti solvimus.

Sed enim: non omnis moritur, Vivit adhucdum in SUI Imagine Viva, HEREDE in FILIO, inque LIBERIS, Vivet & in Natis Natorum, & qui nascentur ab Illis. Vivet in operibus suis, & inde in hominum memoriis; quin & quamdiu stabit Austria, erit autem in Orbe ultima, vivet THERESIA.

Supremum jam Votum est, quod ore dependo omnium: THERESIA! nec TEcum possum vivere, nec sine Te, vive æternum mihi, æternumque vale!



2. The first of these is the
fact that the law of the
land is not the same as the
law of the sea. The law of the
land is the law of the land, and
the law of the sea is the law of
the sea. The law of the land is
the law of the land, and the law
of the sea is the law of the sea.

3. The second of these is the
fact that the law of the land is
not the same as the law of the
sea. The law of the land is the
law of the land, and the law of
the sea is the law of the sea. The
law of the land is the law of the
land, and the law of the sea is
the law of the sea. The law of
the land is the law of the land,
and the law of the sea is the law
of the sea. The law of the land
is the law of the land, and the
law of the sea is the law of the
sea. The law of the land is the
law of the land, and the law of
the sea is the law of the sea.

4. The third of these is the
fact that the law of the land is
not the same as the law of the
sea. The law of the land is the
law of the land, and the law of
the sea is the law of the sea. The
law of the land is the law of the
land, and the law of the sea is
the law of the sea. The law of
the land is the law of the land,
and the law of the sea is the law
of the sea. The law of the land
is the law of the land, and the
law of the sea is the law of the
sea. The law of the land is the
law of the land, and the law of
the sea is the law of the sea.

